

## LIBER TERTIUS

### CAPUT I.

*Consideratur et probatur omnium dominium esse a Deo, considerata natura entis.*

Et quia "cor regis in manu Dei, quocumque voluerit, inclinabit illud," ut in Proverb. 21, 1, scribitur: quod et ille magnus monarcha in oriente, Cyrus videlicet rex Persarum, per publicum confitetur edictum: post victoriam enim de Babyloia consecutam, quam usque ad solum destruxit, ac occiso Balthasar rege ibidem, sicut historiae tradunt, sic ait, ut in principio libri Esdrae (1. 1, 2), patet: "Haec dicit Cyrus rex Persarum: Omnia regna mundi dedit mihi Dominus Deus caeli," inde manifeste apparet a Deo omne provenire dominium sicut a primo dominante: quod quidem ostendi potest triplici via, quam Philosophus tangit: quia vel inquantum ens, vel inquantum motor, vel inquantum finis.

Ratione quidem entis: quia oportet omne ens ad ens primum reducere sicut ad principium omnis entis, ut et omne calidum ad calidum ignis, ut patet per Philosophum in 2 Metaphys. Qua ergo ratione omne ens ex ente primo dependet, eadem et dominium: quia ipsum super ens fundatur, et tanto super nobilius ens, quanto et ad dominandum super homines in natura coaequales eisdem praeponitur. Unde et causam habet non superbiendi, sed humane suum populum gubernandi, ut Seneca dicit in Epistola ad Lucillum. Propter quod in Eccli. dicitur 32, 1: "Rectorem te posuerunt? noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis." Sicut ergo omne ens ab ente primo dependet quod est prima causa; ita et omne dominium creaturae a Deo sicut a primo dominante, et primo ente.

Amplius autem. Omnis multitudo ab uno procedit, et per unum mensuratur, ut patet per Philosophum in 10 primae Philosophiae. Ergo eodem modo et multitudo dominantium ab uno dominante trahit originem, quod est Deus: sicut videmus in regalibus curiis, quod in diversis officiis multi sunt dominantes, sed omnes ex uno dependent, videlicet rege. Propter quod Philosophus in 12 primae Philosophiae dicit, quod sic se habet Deus, sive prima causa ad totum universum, sicut dux ad exercitum a quo tota multitudo castrorum dependet. Unde et ipse Moyses in Exod. 15, 13. Deum ducem populi vocat. "Dux," inquit, "fuisti in misericordia tua po-

pulo quem redimisti." A Deo igitur omne dominium habet initium.

Rursus ad idem. Virtus est proportionata enti cuius est virtus, et adaequatur ei: quia virtus fluit ab essentia rei, ut patet per Philosophum in 1 et 2 lib. de Caelo. Sicut ergo se habet ens creatum ad increatum, quod est Deus; ita virtus cuiuslibet entis creati ad virtutem increatam, quae etiam est Deus: quia quidquid est in Deo, Deus est. Sed omne ens creatum ab ente increato trahit originem. Ergo virtus creata ab increata. Hoc autem in dominio praesupponitur, quia non est dominium ubi non est potentia sive virtus. Ergo omne dominium erit ab increata virtute, et haec est Deus, ut supra dictum est; et sic idem quod prius. Unde Apostolus dicit ad Heb. 1, quod Deus portat omnia verbo virtutis suae. In Eccli. 1, 8, etiam scribitur, quod "unus est altissimus creator omnium, omnipotens, rex potens, metendus nimis, sedens super thronum, dominans Deus." In quibus verbis satis apparet, a quo omnis creatura habet esse, virtutem et operationem, et per consequens dominium; et multo amplius rex, ut superius est ostensum.

### CAPUT II.

*Hoc idem probat ex consideratione motus cuiuslibet naturae creatae.*

Non solum autem ratione entis, sed ratione etiam motus probatur, a Deo provenire dominium.

Et primo quidem assumenda est ratio Philosophi in 8 Physicorum. Quia omne quod movetur, ab aliquo movetur; et in moventibus et motis non est abire in infinitum. Ergo oportet venire ad aliquod primum movens immobile, quod est Deus, sive causa prima. Inter omnes autem homines, qui plus habent de ratione motus, sunt reges et principes, et omnes qui praesunt, sive in gubernando, sive in iudicando, sive in defendendo, et sic de aliis actibus qui ad curam regiminis pertinent. Unde Seneca de consolatione fratris ad Polibium sic loquitur de Caesare, exhortans eum ad contemptum mundi: "Cum voles omnium rerum oblivisci, cogita Caesarem. Vide quantam hujus vitae indulgentiae fidem, quantam industriam debeas; intelliges non magis tibi incurvari licere quam illi. Si quis modo est fabulis traditus, cuius humeris mundus innititur; Caesari quoque ipse, cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent. Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius

labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Ex quo se Caesar orbi terrarum dedicavit, sibi se eripuit; et sidereum modo, quae irrequieta semper cursus suos explicant, nunquam illi licet nec subsistere, nec quidquam suum facere. Si ergo reges et alii domini tantum habent de ratione motus, ipsum non possunt perficere nisi per influentiam et virtutem moventis primi, quod est Deus; ut superius est probatum. Propter quod in lib. Sapient. ubi connumerantur effectus divinae virtutis per suam sapientiam, volens auctor ostendere qualiter omnia influentiam divini motus participant, subdit statim (Sap. 7, 24): "Omnibus mobilibus mobilior est sapientia; attingit autem ubique propter suam munditiam, munditiam<sup>1</sup> vocans absolutam et supergradientem ac immixtam divinam virtutem ad omnia movendum, ad similitudinem corporis lucis, quae ex hac parte naturam imitatur divinum.

Rursus ad idem. Omnis causa primaria plus est influens in suum causatum, quam causa secundaria. Causa autem prima Deus est. Ergo si virtute primae causae omnia moventur et influentiam primi motus omnia recipiunt, et motus dominorum erit ex virtute Dei et ex Deo movente.

Amplius autem. Si est ordo in motibus corporalibus, multo magis et in spiritualibus erit. Sic autem videmus in corporibus, quod inferiora per superiora moventur, et omnia reducuntur ad motum supremi, quod est nona sphaera, secundum Ptolomaeum in 1 distinct. Almagesti; sed secundum Aristotelem in 2 de Caelo, est octava. Si ergo omnes motus corporales regulantur per primum, et a primo habent influentiam; multo magis spirituales substantiae, propter majorem assimilationem quam habent in alterutrum: unde aptiores sunt ad recipiendam influentiam primi et supremi moventis, sive motoris; quod est Deus: quem quidem motum nobis tradit beatus Dionysius in lib. de divinis Nominibus, et de caelesti Hierarchia, distinguens in eis motum sicut et in corporibus, videlicet circularem, rectum, et obliquum. Qui quidem motus sunt quaedam illuminationes quas recipiunt a superioribus ad agendum, ut idem Doctor exponit: ad quas quidem illuminationes recipiendas necessaria est dispositio mentis, in qua fit ista influentia motus. Inter omnes autem homines qui paratiores esse debeant, sunt reges et principes, et alii dominatores orbis: tum ex exercitio quod habent; tum ob universales actiones regiminis, ut et mens magis elevetur ad divina; tum etiam quia hoc eis incumbit ut se disponant ut cura eis imposita in gubernando gregem.<sup>2</sup>

<sup>1</sup> Al. deest vox repetita munditia.

<sup>2</sup> Al. regem: forte regnum.

et alia quae sunt necessaria in actibus regiminis, quae supra ipsum sunt, et naturam particularem excedunt, per talem motum divinae influentiae sufficientius deducantur. Sic enim David rex se disposuit: propter quam causam ex motu illuminationis praefatae super omnes reges et Prophetas meruit in suis psalmis spiritum propheticae intelligentiae, ut doctores Scripturae sacrae tradunt. Ex cuius contrario actu principes ethnici, de quibus Daniel Propheta mentionem facit, ut Nabuchodonosor et Baltassar, pater et filius, meruerunt obrumbari: unde et influentia divinae illuminationis movit eorum phantasiam in imaginativis visionibus, ut in Daniele est manifestum, ut scirent quid circa regale regimen eis esset agendum: sed quia mens ipsorum non erat disposita, sed involuta tenebris peccatorum, ad ipsam notitiam non potuerunt venire. Propter quod insignito lumine prophetiae Danieli dictum est: Tibi datus fuit spiritus intelligentiae ad ista interpretandum: ut verificetur quod per Salomonem dicitur in Proverb. 8, 14: "Meum est consilium et aequitas, mea est prudentia, et mea est fortitudo: per me reges regnant, et legum conditores juxta decernunt: per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam."

Et sic manifestum est, qualiter omne dominium est a Deo in consideratione motus.

### CAPUT III.

*Hic sanctus Doctor hoc idem probat per considerationem finis.*

Sed et respectu finis adhuc hoc idem apparet. Si enim est hominis agere propter finem ratione sui intellectus, qui finem in unaquaque ejus actione praestitit, unaquaque natura quanto est magis intellectiva, tanto magis propter finem agit. Cum ergo Deus sit summa intelligentia et purus actus intelligendi, sua actio magis finem includit. Ergo oportet dicere, quod in unoquoque fine uniuscujusque rei creatae praecipitur actio intellectus divini, quam et nos divinam prudentiam vocamus, per quam Dominus cuncta disponit, et in debitum finem deducit, ut Boetius de consolatione Philosophiae ipsam nominat: securum quam rationem dicitur in lib. Sapientiae, quod divina sapientia "attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter." Concluditur ergo ex hoc quod quaelibet res quanto ordinatur ad excellentiorem finem, tanto plus participat de actione divina. Hujusmodi autem est regnum cuiuscumque communitatis seu collegii sive poltiae, sive regalis, sive cuiuscumque conditionis: quia cum intendat nobilissimum finem, ut

Philosophus tangit in Ethic., et in 1 Politicorum, in ipso divina praeintelligitur actio, et suae virtuti dominorum subicitur regimen. Et hinc forte trahit originem veritatis, quod bonum commune dicitur potentia a Philosopho in Ethic.

Amplius. In regimine legislatoris semper debet intendere ut cives dirigantur ad vivendum secundum virtutem; immo hic est finis legislatoris, ut Philosophus dicit in 2 Ethic. Propter quod et Apostolus dicit ad Timotheum (1 cap. 1, 5,) quod "finis praecepti est caritas." Sed ad istum finem venire non possumus sine motione divina, sicut nec calor calefacere sine virtute caloris ignis, nec lucidum lucere sine virtute lucis: et tanto altius et excellentius motio primi moventis, quanto virtus divina supergreditur et transcendit virtutem creatam, et omne genus operis; sed et fortius influit, intantum, ut dicat illi Isaias Propheta 26, 12: "Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine;" et vox evangelica (Joan. 15, 5): "Sine me nihil potestis facere."

Rursus ad idem. Finis movet efficientem; et tanto efficacius, quanto finis nobilior et melior reperitur, ut bonum gentis respectu boni civitatis vel familiae, sicut Philosophus dicit in 1 Polit. Finis autem ad quem principaliter rex intendere debet in se ipso et in subditis, est aeterna beatitudo, quae in visione Dei consistit. Et quia ista visio est perfectissimum bonum, maxime debet movere regem et quemcumque dominum, ut hunc finem subditi consequantur: quia tunc optime regit, si talis in ipso sit finis intentus. Tali autem modo suos regerat et gubernabat rex ille et Sacerdos Christus Jesus, qui dicebat in Joan. 10, 28: "Ego vitam aeternam do eis;" et iterum (ibid. 10): "Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant." Hoc autem maxime facit rex, quando super gregem suum sicut bonus pastor invigilat: quia tunc super eum divina lux irradiat ad bene regendum, ut pastoribus in ortu regis nostri et Salvatoris. Et irradiationis jam dictae ad bonum regimen et in principem et in subditis motum circularem accipimus rectum et obliquum, de quibus distinctum est supra et beatus Dionysius loquitur in 4 cap. de divinis Nominibus. Hic enim motus ideo rectus dicitur, quia fit per divinam illuminationem super principem ad bene regendum et super populum meritis principis. Sed obliquus vocatur, quando per divinam illuminationem sic subditi regit, quod virtuosae vivunt et insurgit in eis divina laus et gratiarum actio, ut sit quasi quaedam arcualis figura ex chorda recta et arcu obliquo. Sed circularis motus divinum radiorum dicitur, quando divina illuminatio irradiat principem vel subditum: ex qua quidem elevatur ad Deum contemplandum et diligendum: qui ideo circularis motus vocatur, quia est ab eodem ad idem et a puncto ad punctum; quod circularis mo-

tus est proprium. Quem quidem motum Philosophus etiam ponit 12 Metaph., ubi dicitur, quod motor primus, sive causa prima, quod est Deus, movet alia sicut desideratum, hoc est ratione finis, qui est ipse. De quo et Propheta David loquitur in Psal. 76, licet secundum sacros doctores adaptetur ad Christum regem nostrum: "Deus," inquit, "iudicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis; iudicare populum tuum in justitia et pauperes tuos in iudicio. Suscipiant montes pacem populo et colles justitiam." Quae quidem omnia deprecativa sunt regis et cujuslibet domini ad Deum pro bono regimine populi, ad quod principaliter conari debet, ut dictum est supra. Et quia mentem sic dispositam habent ad divinam influentiam recipientem pro salute subditorum, statim subditur: "Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram. Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis." Per quae omnia satis manifestum est, quod dominum est a Deo in relatione ad finem sive remotum, qui est Ipse, sive propinquum; qui est operari secundum veritatem.<sup>1</sup>

#### CAPUT IV.

*Hic sanctus Doctor declarat, qualiter dominum Romanum fuit a Deo provisum propter zelum patriae.*

Et quia inter omnes reges et principes mundi, Romani ad praedicta magis fuerunt solliciti, Deus illis inspiravit ad bene regendum, ut et digne meruerunt imperium, ut probat Augustinus in lib. de civ. Dei diversis causis et rationibus, quas ad praesens perstringendo, ad tres reducere possumus, aliis, ut tradatur compendiosius, resecatis, quarum intuitu meruerunt dominum. Una sumitur ex amore patriae, alia vero ex zelo justitiae, tertia autem ex zelo civilis benevolentiae.

Prima jam dicta virtus satis erat digna dominio: qua participabant quandam naturam divinam, eo quod ad communitatem suam fertur effectus: versatur enim ad universales actiones populi, sicut Deus est universalis causa rerum: unde et Philosophus dicit in 1 Ethic., quod bonum gentis est bonum divinum. Et quia regale regimen et quodcumque dominum communitatem importat, communitatem diligens dominus, communitatem meretur ut sic ipsum concomitetur praemium secundum meriti qualitatem: et hoc requirit conditio divinae justitiae uniceque mercedem rependere juxta virtutis opus, ut verbum scriptum in Apocalypsi impleatur in eis: "Opera eorum sequuntur illos:"

<sup>1</sup> An. secundum virtutem?

et iterum in Matth. cap. 25 scribitur, quod Dominus dedit unicuique secundum propriam virtutem.

Amplius autem. Amor patriae in radice caritatis fundatur, quae communia propriis, non propria communibus anteponit, ut beatus Augustinus dicit exponens verbum Apostoli de caritate. Virtus autem caritatis in merito antecedit omnem virtutem, quia meritum cuiuscumque virtutis ex virtute caritatis dependet. Ergo amor patriae super ceteras virtutes gradum meretur honoris. Hoc autem est dominium. Ergo ex amore digne consequitur quis principatum. De hoc autem amore patriae dicit Tullius in lib. de Officiis, quod "omnium societatum nulla est gratior, nulla carior, quam ea quae cum republica perseverat. Unicuique enim nostrum cari sunt parentes, carissimi liberi, cari propinqui ac familiares; sed omnium propinquitates patria sua caritate complexa est: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si eidem sit profuturus? ". Quantus vero fuerit amor patriae in antiquis Romanis, Sallustius refert in Catilinario ex sententia Catonis, quasdam de eis connumerando virtutes, in quibus dicitur amor includitur. " Nolite, " inquit, " existimare majores nostros armis rempublicam ex parva magnam fecisse: quippe amplior nobis quam ipsis armorum est copia; sed quia in eis fuit domi industria, foris justum imperium, in consulendo animus liber, neque delictio neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam, publice egestatem, privatim opulentiam: laudamus divitias, sequimur inertiam; inter bonos et malos nullum discrimen: omnia virtutis praemia ambitio possidet. "

Rursus. Amor patriae primum et maximum mandatum continere videtur, de quo Evangelium Lucae mentionem facit, quia in zelando rem communem assimilat sibi naturam divinam, in quantum vice Dei diligentem circa multitudinem adhibet curam.

Idem proximi dilectionem adimplet, dum totius populi sibi commissi ex affectu paterno sollicitudinem gerit, et sic adimplet mandatum praefatum, de quo dicitur in Deut. 6, 5: " Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua, et proximum tuum sicut te ipsum. " Et quia in isto praecepto divino non cadit dispensatio, inde est quod Tullius dicit de republica, quod nulla causa intervenire debet, unde propria patria denegetur. De isto autem amore patriae exemplum accipimus, ut historiae tradunt, et beatus Augustinus in 5 de civit. Dei de Marco Curtio nobili milite, qui armatum equo sedentem in abruptum terrae hiatus se praecipitem dedit, ut pestilentia cessaret ab urbe. Item de M. Regulo, qui salutem reipublicae suae praeferebat, consultus a Romano populo, et inter praedictum populum et Poenorum

gentem mediator pacis existens, in Africanam rediens a Carthaginensibus est occisus. Quam mundas etiam habuerunt manus a muneribus principes eorum, pro conservanda republica, patet de M. Curio, de quo scribit Maximus Valerius libro quarto quomodo Samnitum divitias contempsit. Cum enim post victoriam de ipsis habitam, legati eorum ad ipsum aditum habuissent, ipsumque reperissent in scamno sedentem, et catino ligneo coenantem, magnumque auri pondus offerrent, suis invitatus verbis ut eo uti vellet, vultum protinus risu solvens, " Supervacue, " inquit. " Narrate Samnitibus, M. Curium malle locupletibus imperare, quam locupletem fieri: et memento me non acie vinci, nec pecunia posse corrumpi. " Simile etiam refert idem auctor libro eodem de Fabritio, qui cum honore et auctoritate omnibus in aetate sua major, censu vero par esset unicuique pauperrimo, requisitus a Samnitibus, quos in clientela detinebat, pecuniam et servos sibi missos contempsit, ac frustatos remisit: " continentiae suae beneficio et zelo patriae sine pecunia praedives, et sine usu familiae abunde comitatus: quia locupletem illum faciebat non multa possidere, sed pauca desiderare. " De talibus autem concludit dictus Doctor, quod eisdem non datur dominandi potestas, nisi summi Dei providentia, quando res humanas, iudicat talibus donis esse dignas. Multa similia ibidem dicit, per quae definire videtur eorum dominium fuisse legitimum, et eis a Deo collatum. Sed et Mathathias et filii quamvis fuerint de sacerdotali genere, propter zelum legis et patriae in populo Israelitico meruerunt dominium, ut patet in 1 et 2 Machab. Cum enim mortis esset vicinus, sic filios suos alloquitur (1 Machab. 2, 50): " Aemulatores, " inquit, " estote legis, et date animas vestras pro testamento patrum, " quod pro republica accipimus in populo praedicto: et postea subditur: " Et accipietis gloriam magnam, et nomen aeternum: " quod ad filiorum referimus principatum, quorum unus alteri successit; Judas videlicet et Jonathas et Simon, et quilibet eorum sacerdos et dux in eodem floruit populo.

#### CAPUT V.

##### *Qualiter Romani meruerunt dominium propter leges sanctissimas quas tradiderunt.*

Est autem et alia ratio, unde digne Romani dominium sunt adepti: zelus videlicet iustitiae. Quo quidem modo acquisierunt principatum quodam jure naturae, a quo habet exordium omne justum dominium. Primo quidem quia, ut idem Doctor scribit, consulebant patriae consilio libero, avaritiam relegantes in do-

minio, sive turpis lucri gratiam, neque delicto neque libidini obnoxii, pro quibus jam stans dominum dissipatur. Trahebantur enim homines ad ipsorum amorem, ut propter ipsorum iustissimas leges se sponte eisdem subicerent. Unde et ipse Apostolus Paulus cum a Judaeis nimis injuriis vexaretur, coram Festo principe circa partes Caesareae Palaestinae, ut in Actibus Apostolorum traditur, ad Caesarem appellavit, ac se subiecti legibus Romanis. Quales autem fuerint eorum leges, et quam sanctae, sic in eisdem Actibus Apostolorum scribitur de dicto Festo, quia cum Jerosolymis esset, adierunt ipsum principes sacerdotum et sacerdotes postulantes adversum Paulum damnationem mortis: quibus dictus Festus respondit, prout dictis legibus Romanorum subiectus, quod non est consuetudo Romanis damnare aliquem, sive donare, nisi praesentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Propter quod dicit idem Doctor Augustinus in 18 lib. praefato, quod Deo placuit orbem terrarum per Romanos debellare, ut in unam societatem reipublicae legumque productum longe lateque pacaret.

Amplius autem ad hoc. Quia de jure naturae est ut quis gerens curam alterius mercedem reportet, eo quod, ut scribitur in Proverb. (Eccli. 17, 12), " unicuique mandavit Deus de proximo suo. ", Ex qua quidem ratione jura concedunt, quod quis rem alienam contractare possit, et expensas deducere ac praemium accipere juxta meritum actionis, cum dicta bona male tractantur a praedonibus, vel quibuscumque raptoribus. Hoc ergo supposito, consonum videtur naturae ut dominum sit concessum pro pace ac justitia conservanda, jurgii ac discordiis rescandis.

Item. Ad hoc videtur provisum, ut mali puniantur, et boni promoveantur: et hoc est officium dominorum, in hoc quasi officium gerentium proximorum, ut inde suam reportent mercedem; quia ex hoc sua recipiunt vectigalia et tributa. Unde cum Apostolus ad Romanos ostendisset a Deo provenire omne dominium: " Non est, ", inquit (Rom. 13, 1), " potestas nisi a Deo, ", et cetera quae ibi ponuntur ad dominium pertinentia: ultimo concludit: " Ideo et tributa praestatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. ", Inquantum igitur homines virtuosos, ac sua probitate praepollentes pro gubernanda populi multitudinē quae rege indiget, et rectorem non habet, curam assumunt, et sub legibus populum dirigunt; non tantum instituta Dei moveri videntur, sed vicem Dei gerunt in terris, quia conservant hominum multitudines in civili societate, qua necessario homo indiget, cum sit animal naturaliter sociale, ut Philosophus dicit in 1 Politic. Unde et in isto casu dominum videtur esse legitimum. Quod quidem probat Augustinus in

4 de civit. Dei: dicit enim sic: " Remota justitia, quid sunt ipsa regna nisi quaedam latrocinia? ", Ergo ipsa supposita, regnum et quodlibet dominium esse videtur concessum. Introducit autem ad suum probandum intentum exemplum de quodam pyrata, qui vocabatur Dionides; qui cum fuisset captus ab Alexandro, quaesivit ab eo cur mare haberet infestum. Ipse libera contumacia respondit: " Quod tibi, ut orbem terrarum. Sed quia ego exigui navigio id facio, latro vocor; tu vero quia magna classe, diceris Imperator. ", Ista ergo ratione Romanis a Deo collatum fuit dominium. Unde et idem Doctor in 5 ejusdem lib. dicit, quia propter leges ipsorum sanctissimas nisi sunt tamquam recta via ad honores, imperium et gloriam: nec habent unde conqueri debeant de summi et veri Dei justitia: perceperunt enim mercedem suam, justa videlicet dominando, ac legitime gubernando. Quantus autem fuerit zelus justitiae apud Romanos consules antiquos contra malos, de multis est manifestum. Unde scribit Augustinus in 5 saepe jam dicto libro, quod Brutus filios suos occidit, quia bella concitabant in populo: ex quo, vigore justitiae mortem merebantur. " Vicit, ", enim in eo, ut ait Poeta (Virgilius Aeneid. 6), " amor patriae, laudumque immensa cupido. ", Narrat etiam de Torquato, quod idem fecit de filio, quia contra edictum patris invasit hostes juvenili quodam provocatus ardore: et licet victoriosus extiterit; quia tamen castra suae gentis discrimini exposuit, ipsum morti adjudicavit iuxta militares leges: ubi idem Doctor causam suae mortis insinuat, dicens: " Ne plus mali esset in exemplo imperii contempti, quam boni in gloria hostis occisi. ", Maximus autem Valerius dicit de ipso, quod maluit proprio nato carere quam disciplinae militaris transgressionibus indulgere. Sic ergo patet qualiter zelo legalis justitiae Romani dominium meruerunt.

## CAPUT VI.

*Quomodo concessum est eis dominium a Deo propter ipsorum civilem benevolentiam.*

Tertia vero virtus per quam subjugaverunt Romani mundum, et meruerunt dominium, fuit singularis pietas, ac civilis benevolentia: quia, ut tradit Maximus Valerius lib. 5, humanitatis dulcedo barbarorum ingenia penetrat: et hoc experimentum habet. Unde et in Proverb. 6, cap. (Eccl. 6, 5), dicitur, quod " verbum dulce multiplicat amicos et mitigat inimicos. ", Item in eodem (Prov. 15, 1): " Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitatur furem. ", Cujus quidem ratio sumitur

ex generositate animi, ut dicit Seneca, qui magis ducitur quam trahatur. Habet enim mens quoddam sublime et altum, ac impatientis superioris; sed delectatione cujusdam subicitur reverentiae, seu lenitatis, per quam suspicatur ad paria posse conscendere, et a suo non resiliere gradu. Propter quod et Philosophus dicit in 8 Ethic., quod benevolentia est principum amicitiae. Quantum autem antiqui Romani in hac excelluerint virtute, unde exterarum nationum ad suum traherent amorem, seque eisdem sponte subicerent, exempla ipsorum deducantur in medium. Primo quidem de Scipione, qui, ut refert maximus Valerius lib. 4, cum esset in Hispania dux Romani exercitus contra gentem Hannibalis, ac vigesimumquartum agens annum, Carthaginem ibidem a Poenis conditam in suam regisset potestatem; in ipsa virginem cepit eximie venustatis, quam ut desponsatam agnovit et nobilem, ipsam inviolatam parentibus reddidit, et aurum quod in redemptione ejus traditum fuerat, doti ejus adiecit. Ex quo facta ad amorem Romanorum hostes adduxit, admirantes de tam casta moderatione continentiae dicti principis: quia cum idem auctor ipsum referat solutioris vitae in juvenili aetate fuisse, se ipsum in tanta libertate et potestate consistentem ab omni delicto conservavit immunem. Unde Titus Livius de bello Punico narrat: Scipionem sponsum dictae virginis allocutum fuisse, in quo sermone suam ostendit pudicitiam digne principibus imitabilem, et domini meritoriam. Scribit et idem Titus de ipso quaedam benevolentiae inductiva in praedicta victoria. Cum enim misit obsides Romanis, primo quidem hortatus est universos bonum habere animum, venisse enim eos in Romanorum potestatem, qui beneficio, quam metu obligare homines mallet, exterisque gentes fide ac societate junctas habere, quam tristi subjectas servitio. De hoc etiam dicit Augustinus 1 de Civit. Dei, quod proprium ipsorum fuit parcere subjectis, et debellare superbos, acceptaque injuria, ignoscere quam persequi malebant. Refert etiam idem Doctor in eodem lib. de Marco Marcello, qui cum Syracusam urbem cepisset, ante illius ruinam suas illi effudit lacrymas, tantaque fuit pudicitiae et continentis animi, benignaeque mentis, quod priusquam oppidum jussisset invadi, publico edicto constituit, ne quis corpus liberum violaret. Quid pluribus exemplis insistimus? Cum etiam Machabaei, Judas videlicet, Jonathas et Simon, de genere Judaeorum, quorum est proprium aliarum nationum asperrari consortium, tum quia Saturnini sunt, sicut Macrobius dicit super somnium Scipionis, tum quia legibus prohibebatur eisdem, considerata benevolentia Romanorum, cum ipsis statuerunt amicitiam, ut in 1 Machabaeorum scribitur, ubi inter alia commendabilia de ipsis unde populos gentesque diversas ad suum trahebant amorem et sub-

jectionem politicam, seu despoticam, sub compendio interseritur, quod inter praesides Romanos nemo portabat diadema, nec induebatur purpura, ut magnificaretur in ea. Et quia curiam fecerunt, et consulebant quotidie trecentos viginti, consilium agentes semper de multitudine, ut quae digna sunt gerant: et committunt uni homini magistratum suum per singulos annos dominari universae terrae suae: et omnes obediunt uni, et non est invidia neque zelus inter eos. Ubi attendendum, quam ordinandum erat tunc temporis regimen politicum in urbe, quod erat praecipuum motivum cujuscumque nationis et provinciae ipsorum appetere dominium, et eisdem sua colla subicere. Aliud etiam erat in eis provocativum subjectionis, quia ex cupidine dominandi non se dominos vocabant, sed socios et amicos. Unde et de Julio Caesare in Svetonio scribitur, quod milites suos non sibi subjectos, sed socios et commilitones vocabat. Sic et antiqui consules de Judaeis fecerunt: qui quidem etsi modicum habent in oriente dominium, cum Romanis tamen confederati sunt foedere amicitiae. Et cum amplam habent Romani monarchiam in oriente et occidente et aliis mundi plagis, ut ex praedicto lib. Machab., est manifestum, non tamen dedignati sunt cum Judaeis societatem inire, et ad paria se publico in alterutrum attestari edicto.

Patet igitur ex jam dictis, quod meritum virtutis in Romanis antiquis meretur dominium: unde etiam aliae nationes alectae sunt ad ipsorum dominium; tum ex dilectione patriae, pro qua omnia contemnebant: tum ex rigore justitiae, propter quam contra omne malefactorem et perturbatorem pacis se opponere: tum ex civili ipsorum benevolentia, in qua ceteras nationes ad sui amorem trahebant. Pro quibus omnibus ex merito virtutum in ipsis divina bonitas consensisse videtur<sup>1</sup> ad ipsorum principatum ex causis et rationibus assignatis. Sic enim quis meretur dominium, ut Philosophus in 5 Ethic. tradit: ubi dicit, quod non sinimas principari hominem in quo est natura humana tantum, sed illum qui est perfectus secundum rationem, sicut dictum est supra.

<sup>1</sup> Al. consentanea videtur.

## CAPUT VII.

*Hic sanctus Doctor declarat, qualiter Deus permittit aliquod dominum ad punitionem malorum; et quod tale dominum est quasi instrumentum divinae justitiae contra peccatores.*

Fuit autem et alia causa, unde dominum est a Deo permissum, quam a sacra accipimus Scriptura, nec Philosophorum et sapientum hujus saeculi sententis contraria, videlicet propter merita populorum: quam beatus Augustinus assignat in 19 de civit. Dei. Probat enim ibi servitatem introductam propter peccata populi. Quod quidem apparet, quia primo dominantes in mundo fuerunt homines iniqui, ut historiae tradunt, sicut Cain, Nembrot, Belus, Ninus, et Semiramis uxor ejus, qui et dominum habuerunt in prima et secunda aetate mundi. Causa autem unde habuerunt istud dominum, assumi potest ex parte subditorum, vel dominantium: quia tyranni sunt instrumentum divinae justitiae ad puniendum delicta hominum, sicut rex Assyriorum super Israeliticum populum, et rex Gothorum flagellum Dei super Italiam, ut historiaearrant. Item Dionysius in Sicilia, sub quo captivatus est populus, et tandem ab ipso libertate donatus, ut scribit Maximus Valerius lib. 4. De rege vero Assyriorum quomodo ad puniendum delicta sui populi esse destinatus, sic ostenditur per Isaiam Prophetam (cap. 10, 5): "Assur virga furoris mei, unde "et baculus ipse est: in manu ejus indignatio mea; ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi ut auferat spolia, et dividat praedam, et ponat illum in conculationem quasi lutum platearum: quae omnia verificata sunt, quando Jerusalem obsessa est a Chaldaeis, per Nabuchodonosor regem Assyriorum capta et combusta, captis principibus ejus cum rege Sedecia, ejus confossis oculis, et occisis filiis, sicut in fine 4 lib. Regum traditur: per quae verba satis ostenditur, qualiter Deus punit peccatores per manum tyranni. Unde concluditur, ipsos esse instrumentum Dei sicut daemones, quorum potestas justa a sacris doctoribus ponitur, voluntas tamen semper iniqua. Quod etiam ostendit nobis tyrannicum regimen, quia non ordinatur nisi ad onus et molestiam subditorum. Tyranni enim proprietates est propriam et solam sui utilitatem et commodum quaerere, ut dictum est supra, et Philosophus tradit in 8 Ethic.: ubi ponit quod sic se habet ty-

rannus ad subditos sicut dominus ad servos, et sicut artifex ad organum et instrumentum. Hoc autem poenale est subditis, et contra naturam domini, sicut superius est probatum. Sed ex parte dominantium tale dominum videtur a Deo concessum primo in casu supposito, vel Deo disponente pro subditis quod est ad exitum meliorem, quando videlicet princeps ad Dei placitum studet quamvis peccator, ut de Cyro rege Persarum scribitur in Isa. (cap. 45, 1): "Haec, inquit, dicit Dominus Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum veritam. Aperiam ante faciem ejus januas, et portae non claudentur." Quod quidem adimpletum fuit, ut historiae tradunt, quando subito desiccato alveo Euphratis et Tigris, qui per mediam Babylo-niam transibant, civitatem intravit, occiditque Balthassar ipsorum regem cum gente sua, ipsamque civitatem destruxit, ad Medos transferens monarchiam, ubi tunc regnabat Darius Cyri propinquus, ut Josephus scribit. Hoc autem Deus sic disposuit, quia dictus Cyrus humanitatem ostendit in suis fidelibus Judaeis, qui captivi tenebantur in Assyria, quos postea remisit liberos in Judaeam cum vasis templi, et ipsum templum reaedificari mandavit: ex quibus bonis et operibus virtuosus quae exerevit circa divinum cultum, et Dei populum, totius orientis obtinuit monarchiam, ut superius est ostensum. Praedictus vero Balthassar occisus fuit, ut ex sententia Danielis apparet, quia Deo ingratus, et quia vasis templi Domini in uno convivio est abusus: unde dictum est ei per Danielelem (cap. 5, 22): "Quia non humiliasti cor tuum, sed adversus dominatorem caeli elevatum est, et vasa domus ejus allata sunt coram te, et tu et optimates tui et uxores vinum bibistis in eis... porro Deum caeli, qui habet statum tuum in manibus suis et omnes vias tuas, non glorificasti; ideoque ab ipso missus est articulus manus contra te: quod pro sententia divina accipimus contra ipsum, ut rei postea probavit eventus. Narrat enim historia Danielis, quod dum Balthassar rex Babylo-niorum persisteret in Dei contumelia, ut ex dictis liquet, ex opposito mensae sui convivii videbat digitos manus in pariete scribentis; ex qua Scriptura perterritus est, quasi ipsa esset nuntius suae mortis. Refert enim Scriptura Danielis, quod ex aspectu scribentis, ejus imaginem non videbat, nisi digitorum manus, facies ejus perterrita est, et cogitationes ejus perturbabant eum, compages renum ejus dissolvebantur, et genua ejus ad se invicem collidebantur: quae omnia insinuativa erant timoris immensi, et futuri judicii super eum. Sed hanc scripturam rex non discernens, vocatus Daniel, interpretatusque sub tribus nominibus, ipsum denuntiavit moriturum, videlicet "Mane, Thecel, Phares: quod exposuit scriptura. "Mane: Numeravit Deus re-

gnum tuum, et complevit illud, „ hoc est, in termino posuit, sicut res numerata, quae tollitur et separatur ab acervo pecuniae. „ Thecel: Appensus es in statera, et inventus es minus habens: „ unde et dignus es morte. „ Phares: Divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis, „ ut superius est ostensum. Ex quibus omnibus satis est manifestum quod illa clausulae non proprie sunt significativae secundum aliquod idioma linguarum, sed secundum dispositionem divinam, sicut et factum quoddam, in quo Propheta comprehendit divinam circa nos voluntatem. Sit ergo hoc conclusum, quod in illa scriptura suam insinuavit sententiam contra Principem Babyloniae, quia propter peccata sua dignus erat morte et privatione regalis principatus, juxta illud (Eccli. 10, 8); „ Regnum de gente in gentem transfertur propter injustitias.... et diversos dolos. „

## CAPUT VIII.

*Hic sanctus Doctor declarat, quod interdum tale dominium cedit in malum dominantium, quia propter ipsorum ingratitude in superbiam elati graviter deprimentur.*

Sed adhuc insistendum est circa divinam providentiam in dominio. Contingit enim interdum quod, cum quis assumit principatum, erit homo virtuosus, et aliquo tempore perseverabit in eo. Sed aliquo tempore procedendo, ex favore humano et prosperitate rerum regaliu elevatur quis in superbiam, et de beneficiis sibi a Deo collatis ingratus eidem efficitur. Unde Philosophus dicit 5 Ethic., quod principatus virtutem ostendit, sicut accidit de Saule, de quo scribitur 1 Regum, quod in tota tribu Benjamin non erat vir melior illo. Sed post duos annos a suo regimine factus est Deo inobediens: unde dictum est Prophetæ Samueli de ipso (1. Reg. 16, 2): „ Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum, ne regnet super Israel? „ quasi ex divina sententia irrefragabili sit sepultus. Propter quod ultimum dictus princeps fuit occisus cum filiis, totaque ejus progenies a dominio est avulsa: unde in Paralipomenon de ipso concluditur, quod mortuus est Saul propter iniquitates suas. Hoc autem et de Salomone accidit, qui magnificatus est super omnes reges qui fuerant ante eum, ut scribitur in Ecclesiaste, et universa terra desiderabat audire sapientiam Salomonis. Sed, ut dicit Augustinus, 17 de civit. Dei, secundae res praedicto regi fuerunt noxiae, quia lapsus in luxuriam, ruit in idololatriam: ex quo factus est abominabilis populo, intantum ut servi ejus

rebellarent ei diripientes spolia suae regionis et vastantes terram absque resistentia aliqua: cum tamen prius omnes obedirent ad nutum, sicut testatur regina Saba, ut patet in 3 lib. Reg. Ad magna igitur promotus in principio sui regiminis propter divinam reverentiam quam exhibuit, in fine sui regiminis decidit in villa propter delicta quae commisit: „ quia miseros facit populos peccatum, „ (Prov. 14, 34). Tradunt tamen Hebraei, ut Hieronymus refert in commento super Ecclesiaste, quod in fine vitae suae ex multis vexatus suum recognovit errorem, seque disposuit ad poenitentiam in commissis<sup>1</sup> librumque praefatum composuit, in quo sicut expertus cuncta definit vanitati subjacere, subjiciens se divino timore ad snorum observantiam mandatorum. Unde in fine praedicti libri (cap. 12, 13) concludit: „ Finem loquendi pariter audiamus. Deum time, et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo, „ Sed et praeter reges deicolos quid de principibus ethnicis dicam? qui quamdiu fuerunt Deo grati virtutumque cultores, floruerunt in dominio; cum vero ex elatione domini ad contrarium se converterent, mala morte vitam finierunt, sicut contigit de praefato Cyro rege Persarum monarcha. Tradunt enim historiae de ipso, quod cum totam subjugasset Asian, Parthiam, Scythiamque ferro perdomuit, tandem longum certamen Scythis inferens, dominante tunc Tamari regina dictae gentis, quae Massagetia vocabatur, primo quidem cum filio dictae Reginae adolescentulo dimicavit, ipsumque vicit et occidit, nullique parcens aetati, ingentem multitudinem peremit. Quia ergo crudelitatem exercuit et in Babylonia et in regno Lydiae, quia in utroque reges et principes mala morte trucidavit, et in regno Massagetarum similiter fecit; in hoc eodem judicio similiter eum Deus punivit. Narrant enim historiae, quod dicta regina congregavit exercitum contra ipsum, Scythas videlicet, Massagetas et Parthos, et in quibusdam montibus dicta regina, insidiis compositis, invasit castra ejusdem; et sic impetu armatorum absorbit, quod ducenta millia fuerunt occisa praefati principis, et ipse captus: cui amputato capite regina ipsum in utro sanguine pleno mandavit includi, et sic invective acclamabatur eidem: „ Sanguinem stitisti: sanguinem bibe: „ quasi ipsa mors ignominiosa quam passus est, fuerit argumentum suae atrocitatis. Omnes etiam monarchas ipsum sequentes, ut in Graecia magnus Alexander, quamdiu cum reverentia suos tractavit Macedones, vocans milites suos patres tamquam antiquiores, optime processit in monarchia; sed eisdem existens ingratus, a sorore venenatus est: et praecipue quia post victoriam Darii, accepta

<sup>1</sup> Al. consentanea videtur.<sup>2</sup> An de commissis?

filia in conjugem, militaria coepit postponere, luxui vitae in extendens, et sui immemor factus dolorosa morte vitam finivit. Et sic de multis aliis principibus ethnicis exemplum potest adduci, ut de Julio Caesare et Hannibale, qui propter abusum domini diro necati sunt exitu, ut eis conveniat quod in Ecclesiaste (cap. 8, 9) scribitur: "Interdum dominatur homo homini in malum summ: , nec non et illud Isaiae Prophetae, quod in omnibus tyrannis locum habet. Cum enim ostendisset ipse esse divinae justitiae exactores contra peccatores, sicut carnifices dominorum, ut manifestum est supra, cum dixit (cap. 10, 5): "Assur virga furoris mei etc.; , statim subdit: "Ipsa autem non sic arbitrabitur, et cor ejus non sic aestimabit; , quasi sic agat ut Dei instrumentum: "ad conterendum erit cor ejus, et ad interfectionem gentium non paucarum: dixit enim: Numquid non principes nostri simul reges sunt? , attrituens videlicet suae virtuti, et non Dei, qui movet ipsum ad puniendum transgressores divinatorum mandatorum. Hanc autem ingratitude<sup>1</sup> et praesumptionem tyrannorum Dominus statim ibidem redarguit et gravissime punit, ut in jam dictis principibus patet. Unde subdit Propheta in eodem loco: "Numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? An exaltabitur serra contra eum qui se fecit? Quomodo si elevetur virga contra elevantem eam, et exaltetur baculus, qui utique lignum est. , Ubi consideranda est similitudo, quia valde congrua est. Sic enim se habet virtus dominantis ad Deum, sicut virtus baculi ad percipientem et sicut virtus serrae ad artificem. Constat autem quod virtus serrae vel securis in artificio nulla est nisi per artificem moventem et dirigentem: ita et de virtute dominantis contingit, quod nulla est sine Deo movente et gubernante. Ergo stultum et praesumptuosum est gloriari de sua virtute. Ista autem ratio satis aperta esse videtur, et haberi potest ex verbis Philosophi supra inductis. Quia virtus cujuslibet mobilis a virtute dependet primi moventis, et ejus instrumentum erit: et hinc est quod Deo talis gloria est displicibilis, quia tales derogant divinae potentiae: propter quod scribitur in Judith, quod de sua virtute gloriantes Deus humiliat: et ideo subiungit dictus Propheta Isaia: "Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem, et subitus gloriam ejus succensa ardebit quasi combustio ignis. , In quo significatur poena sensibilis, quae talibus infertur tyrannis, et annihilatio principatus, ut in praedictis est manifestum. Relinquitur igitur a Deo omne esse dominium, sive legitimum sive tyrannicum, secundum varias vias<sup>2</sup> suae investigabilis providentiae.

<sup>1</sup> *At.* ingratitude ad praesumptionem.

<sup>2</sup> *At.* vias.

## CAPUT IX.

*Hic sanctus Doctor declarat quod homo naturaliter dominatur animalibus silvestribus et aliis rebus irrationalibus, et quomodo: quod probatur multis rationibus.*

Nunc igitur accedendum est ad diversas species dominandi secundum diversos modos et gradus in hominibus domini et principatus.

Et primus quidem generalis est omnium, qui competit homini secundum naturam, ut tradit Augustinus, 18 de civit. Dei: in quo casu et Philosophus concordat in 1 Politicorum. Hoc autem et Scriptura sacra confirmat, quando in sui creatione tanquam naturae inditae dicit (Gen. 1, 28): "Dominamini piscibus maris et volatilibus caeli, et universis animantibus quae moventur super terram: , in quibus ostenditur quod naturae institutae humanae talem indidit potestatem. Qui enim dixit, "Germinet terra herbam virentem, , et ex tali dicto data est potestas arboribus germinandi, dixit et nobis similiter; "Dominamini piscibus maris etc. , Et sic ex jam dictis apparet quod dominium hominis super ceteras creaturas est naturale. Unde et Philosophus probat secundum eandem rationem, quod venationes et aucupia sunt a natura. Et Augustinus in praedicto libro hoc probat per dominium, quod antiqui patres soliti erant habere, ut pastores essent pecorum, quae et divitiae naturales definitae sunt supra. Et quamvis tale dominium diminutum sit propter peccata, quia etiam vilia animalia dominantur in nobis, et facta sunt nobis nociva, quod non contingit in homine nisi propter dictam causam; tanto magis tamen participamus de dicto dominio, quanto magis ad statum attingimus innocentiae: quod etiam vox evangelica nobis promittit, si ejus imitatores fuerimus in justitia et sanctitate. Cum enim Dominus exhortaretur discipulos ad animarum salutem, verbum Dei praedicando, sic de eisdem<sup>1</sup> virtutem denuntiat dicens (Marc. 16, 17): "In nomine meo daemonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. , Quod experimento didicimus in virtuosis et perfectissimis viris, ut in gestis sanctorum patrum scribitur; et de beato Paulo traditur in Actibus Apostolorum, quia viperam ipsum non laesit, nec beatum Joannem Evangelistam venenum; et sic de multis aliis sanctissimis patribus, qui super ocoodrilonos atrocissimas bestias sive venenosa reptilia Nilum vadabant,

<sup>1</sup> *Forse* sic eorum virtutem.

ut impleteretur in eis quod Dominus in Luca dixit discipulis 10, 13: "Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et supra omnem virtutem inimici." Istius autem domini in prima hominis institutione collati ex triplici via ratio congruentiae assignari potest. Primo quidem ex ipso naturae processu. Sicut enim in generatione rerum naturalium intelligitur quidam ordo, quo de imperfecto ad perfectum proceditur: nam materia est propter formam, et forma imperfectior est propter perfectiorem: ita et in usu rerum naturalium; nam imperfectiora cedunt in usum perfectiorum: plantae enim utuntur terra ad suum nutrimentum, animalia vero plantis, homo autem plantis et animalibus. Unde concluditur, quod homo naturaliter dominatur animalibus: propter quod, sicut superius est tactum, Philosophus probat in 1 Politicorum, quod venatio animalium silvestrium est justa naturaliter, quia per eam homo sibi vendicat quod naturaliter est suum. Secundum apparet hoc ex ordine divinae providentiae, quae semper inferiora per superiora gubernat: unde cum homo sit supra cetera animalia, utpote ad imaginem Dei factus, convenienter hominis gubernationi alia animalia subduntur. Tertio apparet idem ex proprietate hominis et aliorum animalium. In aliis enim animalibus invenitur secundum aestimationem naturalem quaedam participatio prudentiae ad aliquos particulares actus; in homine vero reperitur quaedam universalis<sup>1</sup> prudentia, quae est ratio naturalium agibilibus. Omne autem quod est per participationem, subditur ei quod est per essentiam universaliter. Unde patet quod est naturalis subjectio aliorum animalium ad hominem.

Sed utrum dominium hominis super hominem sit naturale vel a Deo permissum, vel provisum, ex jam dictis veritas haberi potest. Quia si loquamur de dominio per modum servilis subjectionis, introductum est propter peccatum, ut dictum est supra. Sed si loquamur de dominio prout importat officium consulendi et dirigendi, isto modo quasi naturale potest dici, quia etiam in statu innocentiae fuisset. Et haec est sententia Augustini, 19 de civ. Dei. Unde istud dominium ei compete-  
 bat in quantum homo est<sup>2</sup> sociale naturaliter, sive politicum, ut dictum est supra. Talem autem societatem oportet ad invicem ordinari. In his autem quae sunt ad invicem ordinata, oportet semper aliquid esse principale et dirigens primum, ut tradit Philosophus in 1 Polit. Hoc etiam ostendit ipsa ratio ordinis, sive naturae: quia, ut per Augustinum scribitur in praedicto libro, ordo est "parium disparium-

<sup>1</sup> Al. utilis.

<sup>2</sup> An deest animal.

que rerum sua cuique tribuens dispositio." Unde manifestum est quod nomen ordinis inaequalitatem importat, et hoc est de ratione domini. Et ideo secundum hanc considerationem dominium hominis super hominem est naturale, et est in Angelis, et fuisset in primo statu, et est etiam modo: de quo nunc per ordinem est dicendum secundum ipsius dignitatem et gradum.

#### CAPUT X.

*Hic sanctus Doctor declarat de dominio hominis secundum gradum et dignitatem; et primo de dominio Papae qualiter praefertur omni domino.*

Recipit igitur divisionem dominium quadrimembrem eadem causa et ratione. Quia quoddam est sacerdotale et regale similiter. Aliud autem est regale solum, sub quo imperiale sumitur, et sic de aliis, ut infra patebit. Tertium vero politicum. Quartum autem oeconomicum.

Primum autem ceteris antefertur multiplici via: sed praecipua sumitur ex institutione divina, videlicet Christi. Cum enim eidem secundum suam humanitatem omnis sit collata potestas, ut patet in Matth. 16, 18, dictam potestatem suo communicavit Vicario cum dixit: "Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam: et tibi dabo claves regni caelorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis." Ubi quatuor ponuntur clausulae, omnes significantiae domini Petri suorumque successorum super omnes fideles, et propter quae merito summus Pontifex Romanus Episcopus dici potest, rex et Sacerdos. Si enim Dominus noster Jesus Christus sic appellatur, ut Augustinus probat, 17 de civit. Dei, non videtur incongruum suum sic vocare successorem, circumscriptis rationibus quae possent adduci, quia satis est clarum. Sed redeundum est ad clausulas jam dictas: quarum una sumitur ex nominis impositi magnitudine; secunda vero ex domini fortitudine; tertia autem ex domini amplitudine; quarta ex domini plenitudine. Primam igitur partem praefatam accipimus, cum Dominus dicit: "Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam." In hoc enim nomine, ut sacri exponunt doctores, sicut Hilarius et Augustinus, Dominus potentiam Petri insinuat; quia a petra, quae est Christus, ut dicit Apostolus, cujus confessionem Petrus praemiseraat, Pe-

trus est appellatus, ut secundum etiam quandam participationem nomen acquirat et potestatem, et audire mereatur: " Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam: ", quasi totum dominium inter fideles ex Petro dependeat in ejus successores. Secunda vero clausula, domini importat fortitudinem: quod significat verbum quod sequitur: " Et portae inferi non praevalent adversus eam: ", quae sunt curiae tyrannorum et persecutorum Ecclesiae, ut doctores sacri ibidem tradunt, sic dictae, quia sunt causa omnium peccatorum intra Ecclesiam militanteum. Ad tales enim principes omnes seclerati recurrunt, ut accidit in curia Federici et Conradini, et Manfredi. Sed tales non praevaluerunt adversus Ecclesiam Romanam; immo omnes mala morte extirpati sunt: quia, ut dicitur in libro Sapient. 3, 19, nationes iniquae dirae sunt consumptionis. " Domini vero amplitudo ostenditur cum subjungit Dominus: " Et tibi dabo claves regni caelorum. " In hoc enim insinuat nobis potestas Petri et successorum suorum, quae se extendit ad totam Ecclesiam, scilicet militanteum, et triumphantem, quae per regnum caelorum designantur et quae clauduntur clavibus Petri. Sed domini clavibus plenitudo ostenditur cum ultimo dicitur: " Et quodcumque ligaveris super terram, erit solutum et in caelis. " Cum enim summus Pontifex sit caput in corpore mystico omnium fidelium Christi, et a capite sit omnis motus et sensus in corpore vero; sic erit in proposito. Propter quod oportet dicere, in summo Pontifice esse plenitudinem omnium gratiarum, quia ipse solus confert plenam indulgentiam omnium peccatorum: ut competat sibi quod de primo principe Domino dicimus, quia " de plenitudine ejus nos omnes accepimus " (Joan. 1, 16). Quod si dicatur ad solam referri spirituales potestatem, hoc esse non potest; quia corporale et temporale ex spirituali et perpetuo dependet, sicut corporis operatio ex virtute animae. Sicut ergo corpus per animam habet esse, virtutem et operationem, ut ex verbis Philosophi et Augustini de immortalitate animae patet, ita et temporalis jurisdictioni principum per spirituales Petri, et successorum ejus. Cujus quidem argumentum assumi potest per ea quae invenimus in actis et gestis summorum Pontificum, et Imperatorum, quia temporalis jurisdictioni cesserunt. Primo quidem de Constantino apparet, qui Sylvestro in imperio cessit. Item de Carolo Magno, quem Papa Adrianus Imperatorem constituit. Idem de Ottone I qui per Leonem creatus et imperator est constitutus, ut historiae referunt. Sed ex depositione principum auctoritate apostolica facta, satis apparet ipsorum potestas. Primo enim invenimus de Zacharia hanc potestatem exercuisse super regem Francorum, quia ipsum a

regno deposuit, et omnes barones a juramento fidelitatis absolvit. Item de Innocentio III qui Ottoni quacito imperium abstulit. Sed et Federico secundo hoc idem accidit per Honorium Innocentii immediatum successorem. Quamvis in omnibus istis summi Pontifices non extenderent manum nisi ratione delicti, quia ad hoc ordinatur eorum potestas et ejuslibet domini, ut prosint gregi: unde merito pastores vocantur, quibus vigilantia incumbit ad subditorum utilitatem. Alias non sunt legitime domini, sed tyranni, ut probat Philosophus, et dictum est supra. Unde Dominus utitur in Joanne quadam importuna interrogatione, ter quaerens a suo successore beato Petro, quod, si ipsum diligit, gregem pascat. " Petre, ", inquit, " amas me? Pisce oves meas: " Joann. 21, 17; quasi in hoc consistat tota pastoralis cura, profectus videlicet gregis. Hoc ergo supposito, quod pro utilitate gregis agat, sicut Christus intendit, omne supergreditur dominium, ut ex dictis apparet: quod ex visione prima Nabuchodonosor satis est manifestum, de statua videlicet quam vidit, ejus caput aureum, pectus et brachia de argento, venter et femur de aere, tibiae vero ferreae; pedum autem quaedam pars ferrea, quaedam fictilis. Sed dictam statuum dum contemplantur, abscissus est lapis de monte sine manibus, et omnia praedicta contrivit. Hic autem lapis factus est mons magnus, et implevit universam terram: quam quidem visionem Daniel Propheta, ut Hieronymus et Augustinus exponunt, ad quatuor monarchias adaptat: Assyriorum videlicet pro aereo capite; Medorum et Persarum pro argento in brachiis et pectore; Graecorum vero monarchiam pro aereo ventre et femore, sed Romanorum ultimo, pro tibiis ferreis, et pedibus partim ferreis, partim vero fictilibus. Sed post haec " suscitabit, " ait Propheta (Daniel. cap. 2, 44): Dominus Deus caeli regnum quod in aeternum non dissipabitur, et regnum ejus populo alteri non traditur, comminuetque universa regna, et ipsum stabit in aeternum: ", quod totum ad Christum referimus; sed vice ejus ad Romanam Ecclesiam, si ad pasendum gregem ejus intendat. Attendendum etiam, quod divina institutio destitui non potest, quia solus dispensatores et ministros assumpsit suos vicarios Christus, sicut Apostolus dixit 1 ad Corinth. 4, 1: " Sic nos, " inquit, " existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysterium Dei. " Solus enim Christus fundavit Ecclesiam, ejus ministerium Petro et pastoribus commisit: " Fundamentum autem aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus; " (1 Cor. 3, 11). Unde sacri doctores quandam potestatem Christo attribuant, quam Petrus non habuit nec sui

<sup>1</sup> At. ministerium

successores; et ipsam potestatem excellentem nuncupant; et sic potestas Petri et successorum ejus non adaequatur potestati Christi, immo omnino transcendit. Potuit enim Christus sine baptismo salvare: propter quod et Hieronymus dicit super Matthaeum, quod nullum sanavit in corpore, quem non sanavit in mente; et tamen sine baptismo; quod tamen Petrus non potuit: unde et Cornelium Centurionem, ut in Actibus Apostolorum legitur, cum tota sua familia baptizavit etiam post adventum Spiritus sancti. Potuit etiam mutare Christus formam sacramentorum et materiam, quod Petrus non potuit nec successores ejus.

Haec ad praesens dicta sufficiant, subtiliora sapientibus reliquendo, et altiora quae dici possent. In hoc tamen sistat conclusio praesentis capituli, Vicarios Christi pastores Ecclesiae cunctis debere praeferi ex jam dictis causis.

## CAPUT XI.

*Hic sanctus Doctor declarat de dominio regali, in quo consistit, et in quo differt a politico, et quo modo distinguitur diversimode secundum diversas rationes.*

Nunc autem ad regale dominium est procedendum; ubi est distinguendum de ipso secundum diversas regiones, et prout diversis varie invenitur traditum. Et primo quidem in sacra Scriptura aliter leges regalis domini traduntur in Deuteronomio per Moysen, aliter in 1 Reg. per Samuelem Prophetam: uterque tamen in persona Dei differenter ordinat regem ad utilitatem subditorum, quod est proprium regum, ut Philosophus tradit in 8 Ethic. "Cum, inquit (Deut. 17, 16), "constitutus fuerit rex, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Aegyptum, equitatus numero sublevatus: non habebit uxores plurimas quae aliantur animam ejus, neque argenti aut auri immensa pondera, (quod quidem qualiter debeat intelligi, supra tradit in hoc lib.). "describetque sibi Deuteronomium legis hujus, et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitae suae; ut discat temere Dominum Deum suum, et custodire verba ejus, et caeremonias, et ut videlicet possit populum dirigere secundum legem divinam. Unde et rex Salomon in principio sui regiminis hanc sapientiam a Deo petivit, ad directionem sui regiminis pro utilitate subditorum, sicut scribitur in 3 lib. Regum. Subdit vero dictus Moyses in eodem lib. (ibid. 20): "Nec elevetur cor ejus in superfluum super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse et filius ejus super Israel. Sed in 1 Re-

gum traduntur leges regni, magis ad utilitatem regis, ut supra patuit in lib. 2 hujus operis; ubi ponuntur verba omnino pertinentia ad conditionem servilem; et tamen Samuel leges quas tradit, cum sint penitus despoticæ, dicit esse regales. Philosophus autem in 8 Ethic. magis concordat cum primis legibus. Tria enim ponit de rege in eodem lib.: videlicet quod ille legitimus est rex qui principaliter bonum subditorum intendit. Item qui per se sufficiens reperitur, et qui omnibus bonis superexcellit, ne videlicet subditos gravet. Item ille rex est qui curam subditorum habet, ut bene operentur, quemadmodum pastor ovium. Ex quibus omnibus manifestum est quod juxta istum modum, despoticum multum differat a regali, ut idem Philosophus videtur dicere in 1 Polit. Item quod regnum non est propter regem, sed rex propter regnum: quia ad hoc Deus providit de eis ut regant et gubernent, et unumquemque in suo jure conservent; et hic est finis regiminis: quod si ad aliud faciunt, in se ipsos commodum retorquendo, non sunt reges, sed tyranni: contra quos dicit Dominus in Ezech. (24, 2): "Vae pastoribus Israel, qui pascunt semetipsos. Nonne greges pascuntur a pastoribus? Lac comedebatis, et lanis operiebimini, et quod crassum erat, occidebatis: gregem autem meum non pasciebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis; et quod aegrotum, non sanastis; quod confracrum non alligastis; quod abjectum, non quaesistis: sed cum austeritate imperabatis eis et cum potentia. In quibus verbis nobis sufficienter forma regiminis traditur redarguendo contrarium.

Amplius autem regnum ex hominibus constituitur, sicut domus ex parietibus, et corpus humanum ex membris, ut Philosophus dicit in 3 Polit. Finis ergo regis est ut regimen prosperetur, quod homines cujuslibet principatus participationem divinae bonitatis: unde bonum commune dicitur a Philosopho in 1 Ethic. esse quod omnia appetunt, et esse bonum divinum; ut sicut Deus, qui est Rex regum et Dominus dominantium, cujus virtute principes imperant, ut probatum est supra, nos regit et gubernat non propter se ipsum sed propter nostram salutem; ita et reges faciunt, et alii dominatores in orbe. Sed quia nemo militat stipendiis suis unquam, et quodam jure naturae de suo labore unusquisque debet reportare mercedem, ut probat Apostolus in 1 epistola ad Corinth. ; hinc habemus quod licet principibus a suis tributa percipere et annuos census: unde cum Apostolus ad Romanos probasset omne dominium a Deo esse provisum, ultimo persuadet eisdem retribuere pro labore. "Ideo, inquit (capit. 13, 6): "et tributa praestatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsi servientes. Augustinus etiam eadem verba pertractans de verbis Domini, hoc idem